

DISSERTATIO

MEDICO-PRACTICA

DE

EMPHRAXI

HYPOCHONDRIORUM

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI

DECANI,

NEC NON

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Augustinus Göttinger,

Moravus Radelsdorfensis C. R. Convictus Alumnus.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis
aedibus die 11. mensis Januarii 1834.

VINDOBONAE.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

O I T A T H I S

1801

10

X A M B E R G

M. HIGGINS

of the University of Cambridge

1790

1801

1801

— Cum simul assis

Miscueris elixa, simul Conchylia turdis,

Dulcia se in bilem vertent stomachoque tumultam

Lenta feret pituita. —

Horat.



AMICIS DILECTISSIMIS

PAGELLAS HASCE

D. D. D.

Auctor.

AMICIS DILECTISSIMIS

LEONOR MACE

D. D. M. M.



Autor

Praefatio.

Legibus academicis sancitum est, dissertationem, pro assequenda Medicinae Doctoris laurea, medicae committere arenae; cui legi, ne crimen laesi moris mihi contraham, quamvis inexercitatus et peregrinus obtempero.

Hunc in finem, morbum hypochondriorum chronicum, in praxi frequentissime obvium, paucis lineis adumbrandum elegi — puto *Emphraxin Hepaticam et Splenicam*, viscerum utpote, quae sensu stricto hypochondriaca vocantur. Ita enim *P. Alpinus*: „Ex quibus dicamus et nos quoque hypochondria, ex partibus externis abdominis, eas proprie dici, quae nothis costis et

„illis continentur, supra umbilicum et
„in latus utrumque, aut partes cartilagi-
„neas supra loca inania sitas, *quae occu-
„pantur ab hepate dextra, a splene vero si-
„nistra.*”

Tu vero, Lector benevole! serio ani-
mo exiguum huncce laborem pervolvens,
relictas lacunas tyroni ne crimini vertas,
quaeso.

UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARY

Introductio.

Hypochondria, (ab ὑπο sub, et χονδρος cartilago) Germ. die Weichen, Dünnungen, illas corporis humani partes designant, quae sub cartilaginibus costarum notharum utriusque lateris abdominis reconduntur, atque retro ad oras usque lumbales porrigunt; deorsum vero prope ad umbilicum et cristas iliacas descendunt; unde amplissimam sane epigastrii provinciam amplectuntur.

Apud Hippocratem et reliquos medicos graecos, hypochondria idem significant ac praecordia. Ita apud Celsum praecordiorum durorum, mollium, tumentium, etc. saepe mentio fit.

Cum hypochondria corporis humani regionem sistant, in qua nobilissima cavi abdominalis organa collocata sunt, ventriculum undique cingentia, tamquam primates circa regiam illam, ut cum *Helmontio* loquar, Archaei sedem collecti, ubi gravissima vitae plasticæ opera peraguntur; nemo sane mirabitur, quod omnis aevi medici hisce corporis humani partibus in indaganda morbi sede, in eruenda ejus natura, in statuenda prognosi, tantam tribuerint dignitatem tantamque auctoritatem.

Divinus jam ille magister, venerandus senex *Cous Hippocrates* inquam, in libr. Prognost. et morbor. epidem. pluribus locis, varium hypochondriorum statum, suo more classico depinxit calamo. Sufficiat unum adduxisse exemplum: »Quodsi in hypochondriis, ait artis medicae pater, pulsus quoque insit, perturbationem sig-

nificat vel delirium. Juxta ventrem in febre palpitationes mentis emotiones faciunt.«

Hunc sequitur *A. C. Celsus*, nomine et scientia talis, alter *Hippocrates* latinus non immerito dictus, eadem prorsus docens.

Quid vero de *Cl. Galeno* referam ingeniosissimo scriptorum Coacorum commentatore? Hic aperte dicit, quod epilepsiae, comata, catalepses, deliria, melancholiae ex abnormi hypochondriorum statu fiant.

Longo sane indigerem tempore, nec sufficerent vires, claros enumeraturus viros, qui post elapsa barbariei rudisque superstitionis tempora, duobus ultimis seculis caput extulerunt, et in arte medica restauranda immortalem gloriam sibi compararunt. Similia nobis monita prodiderunt. Sic enim, ut alios silentio praeteream, castissimus observator *Baglivius*: »Si »medici, inquit, nostri temporis omnium aegrorum »hypochondria statim tractarent in morbis, pauciores »certo committerent errores, quam faciunt spreta hypochondriorum observatione. Qui bene noverit hypochondriorum statum in morbis, quam bene curare »noverit! quam bene praesagire!«

Emphraxis hypochondriorum.

§. 1. *Etymologia.* Εμφραξις, Germ. Anschoppung, Auflockerung, Lat. *Infarctus* — a *farcio*, stopfen, quod Vossius a φρασσω, idem ac obstruo, obturo, constipo derivandum esse censet: ita quidem, ut hujus participium φρακτῶς sive licentia poetica, sive juxta dialect. boeotic. in φαρκτῶς transmutatum fuerit.

§. 2. DEFINITIO. *Emphraxis* igitur *hepatica et splenica* illud sistit organicae reproductionis quantitative incitatae vitium, quod eorundem viscerum volumen, una cum massa, morbose auctum refert, cum majore simul cohaesione, partiumque similarium proportione alterata.

Hypotyposis.

§. 3. Morbi hujus origo in vasorum oppletionē, uberiori humorum adfluxu, principii nutritivi abundantia, expansionis praedominio, nisu formativo vividiore fundatur. Pauca modo et obscura in hoc morbi gradu sese manifestant *symptomata idiopathica objectiva*; plura hic ex sensationibus, quas aeger accusat *sympt. subjectiva*; ex consensuali digestionis turba — *sympt. sympathica*; colligere, atque valorem eorum, et suspicionis de latente infarctu probabilitatem, ex consideratione potissimum momentorum causalium aestimare et corroborare, aut refellere medicus debet. Levissima hypochondriorum plenitudo, aliquis sensus ponderis et pressionis, rarius doloris obtusi in alterutro ventris latere, sub decubitu in hoc vel oppositum, sub contractatione rudiori, post pastum turgente cibus ventriculo, aut expansis flatibus intestinis, sub retentis

urinis et faecibus, aut sub intensiori eas excernendi nisu, vel ubi profunda ducere jubentur suspiria, aut dum justo celerius passus facientes, vel scalas, vel montes scandendo, vel promptius et diutius sermocinando, vel demum gravi commoti pathemate, anhelosi evadunt, vel qualicumque modo incalescunt, quidquam exasperandus et clarior redditus. Adsunt autem praelerea diversae, quamvis levissimae, obstinaces tamen primae adsimilationis turbae: os mucosum, siccum, imprimis evigilantes e somno graviter molestans, et ad screandum invitans, sapor alienus, fatuus amarus, acidus, putridus, ructus inanes, aut pyrosis, nausea et vomituritio frustranea, aut uberior salivae acrioris in ore confluxus; appetitus ciborum vitiatus, nullus, languens, citissime satiandus, aut nimius et famelicus fere, aut incongrua et minime esculenta poscens - *malakia*; ita quoque et sitis variabilis, de nocte et mane ex regula urgens; motus ventriculi iners, post ingesta brevi sensus oppletionis et tensionis ad epigastrium molestae, simul ob denegatum boni chyli bilisque stimulum, aut hac ultima praeter normam hic effusa; motus tubi peristalticus aut *aegrius*, uti consuetim, procedit, unde absorptionis intestinalis languor, excretio alvi tarda, faeces parcae, durae, uberior flatuum generatio, explosio difficilis, hinc murmura et borborigmi, et vera intestinorum pneumatosis, doloresque colici, aut hic nimium et justo *alacrius*, quam id negotium chylicationis exposcit, praecipitatur, unde humorum ad vasa lactea urgentium impetuosa resorptio, nutrimenti abundantia, plethora chylosa, obesitas et repentina illa habitus corporis emendatio, quam ambiguum esse sanitatis signum jam *Celsus* monet, dicens: »Ergo si plenior aliquis et »speciosior et coloratior factus est, suspecta habere »bona sua debet;« vel ciborum vix assumtorum et ne-

quidem digestorum, una cum succis inquilinis, nulla mora resorptioni concessa, celer et frequens per annum relaxatam dejectio, quam serius ociosiusve materiae organicae in universo, penuria et consumptio sequitur. Indoles quoque urinarum alteratur, et lotium non raro turbulentum et hypostaticum jam nunc excernitur; id quod *Hippocrates* jam adnotavit: »si multae inquit, particulae crassae in urinis subsident, signum atrae bilis habetur.«

§. 4. Varia quoque phaenomena morbosa in dissitis corporis regionibus in conspectum veniunt. Animus fit morosus, tristis; languent vivaces olim oculi; plumbei annuli pendulas cingunt palpebras; facies integra diversum a naturali induit colorem, quod *Baglivio* essentialis character habetur, idemque confirmat *Heurnius*. Alias sensationes insolitae diversa pervagantur membra; artus ingravescent, aegre moventur et facile defatigantur; cutis jam horrore contremiscit, jam fugaci perstringitur aestu; hinc inde et cor palpitatur, et arteriae absque typo micant, et ipsum adeo abdomen testante *Tulpio* quandoque pulsare videtur. Dirii dolores aut temulentia, vertigines, caligines caput irruunt, sensus obnubilant. Somnus vel omnis fugit, vel horrida insomnia, ephialtes, spectra, vix sopitum terrent, et inter angores et palpitationes expergiscunt, vel invincibili resoluti pigrilia et quasi ebrii continua torquentur somnolentia. Cutis vel adipe infarcta tumescit, et cachectica albedine pallet, vel arctius extenuatis carnibus adstricta, aut in totum, aut ubi tenui substrata est epidermide, ad canthos oris, palpebrarum ad albugineam et genas, lurido, flavescente tingitur, colore, aut in dorso, pectore et ventre, vel et facie frontequae maculas, ex flavo-viridescentes aut pallidas, subinde fuscas et ex flavo-nigricantes, in longum ac latum extensas, ambitus diversi, figurae

definitæ nullius, saepe laeves, alias paulisper asperas, indolentes, solenne hepaticis *Chloasma*, et veros lichenes concipit, ac vel sicca est et anserina, vel interdum olidis sudoribus scatet. In sexu sequiori catamenia a norma deflectere, largiora aut parciora fieri, aut penitus silere, et in locum eorum uterus aut vagina mucosum humorem profundere solent; in his et viris hæmorrhoidum molimina comparere; in utroque etiam nisus in venerem vel justo magis incensus, vel sufflaminatus, aut penitus extinctus observantur.

§. 5. Si vero ad majorem gradum crescere continuat malum, expansio organica excessiva contractionis renitentiam adeo infringit, ut laxitas compægis, congestiones passivæ succedant, humores secreti, nunc in vasis capillaribus stagent, nunc in telam cellulosam effundantur, simulque structura leviter alteretur.

§. 6. Augentur nunc symptomata prius assignata intensitate, et simul nova accedunt. Increscit hypochondriorum tumor, manibus facile ut plurimum palpabilis. Obscuræ et versatiles aegri sensationes in clara et constantia abeunt nunc pathemata, symptomatibus simul hypochondrioseos in conspectum venientibus. Moeret et affligitur de die in diem magis animus, et inter continuum vitæ taedium et amorem, salutis spem et pusillam desperationem luctans ægitatur. Obtusi et vagi hucusque dolores ad certa nunc figuntur puncta, transversim ad ilia et epigastrium feruntur, et præcipue sursum ut *Hippocrates* docet, »ad jugulum e directo fiunt.« Oritur simul tussis inanis et dyspnoea, stases humorum in remotis partibus, vel vero ruptis canalium coërcentium vinculis, insolita nascuntur profluvia, solita in aegri detrimentum ultra normam excedunt, unde numerosum agmen symptomatum pullulat: inter quæ orgasmus ad thoracem et caput, aestus, vertigines, epistaxis, insultus apo-

plectici, aut asthmatis species variae, aut pneumatorrhoeae serius ociosve lethales, aut ominosa haematemesis, aut levans haemorrhoidum fluxus, qua eminentia recensentur. Digestionis quoque et excretionum gravamina, omnesque in toto vegetationis processu anomaliae, adhuc in altiori utique emicant gradu. Obstructa vel compressa vasa bilifera, aut ipse ductus choledochus, cysticus, bilis in intestina excretionem impedit, unde chylus pravus, faeces decolores, limosae, albae, caninae, argillaceae, pigre per anfractus intestinorum lanquentium descendentes, gas copiosum eructantes; urinae clarae, crudae, vel etiam turbidae, crassae, pingues, viscidae, foetentes, in superficie cuticulam versicolore contrahentes, sedimentum sat largum praecipitantes, retenta et resorpta bilis cutem aurigine tingit, totusque corporis habitus cachecticus evadit, et nisi congrua therapia, lente quamvis increscens, debellatur malum, scleroma et verus denique nascitur scirrhus, lugubrem aegro praeparans sortem, cruciatibus plenam.

§. 7. Tot vero et tantae plurium simul et nobilissimorum organorum laesiones longe persistere nequeunt, quin inde totus processus plasticus ad imum prosternatur, hoc vero prostrato, omnis necessario incitationis vis, et ipsum demum vitae substratum materiale praecipitato cursu in plenariam ruat resolutionem. Augentur autem vel recenter accedunt: macies universalis, cadaverose, musculorum exsiccatio vel mollities diffluens, quae cum enormi et supernutrito ventre, peculiarem aegro conciliat habitum; icterus foedissimus, ulcera ad tibias, excoriationes, aphthae oris, aliave dyscrasiae scorbuticae propria, oedemata, askites, anasarca; tandem febris symptomata, virium debilitas maxima, nervorum et musculorum resolutiones, subinde levis convulsio, excretiones involuntariae,

enormes, colliquativae, vomitus, aut diarrhoea cruenta, sudores frigidi, singultus, leipothymiae, frequentes tristem claudunt scenam.

D i a g n o s i s.

§. 8. Emphraxis hepaticae et splenicæ diagnosis, quamvis simplex et facilis videatur, multis haud raro, praeprimis sub initio morbi premitur difficultatibus; nam viscerum adfectorum sedes abscondita, organorum vicinorum varietas, situs naturalis non raro praeter normam mutatus, morborum denique aliorum complicatio frequentissima, gravia diagnosi ponunt impedimenta. Neque enim volumen horum viscerum ad eum usque gradum, aut ea semper crescit directione, ut extorsum tumentia, visui aut tactui augmentum suum significant, neque si reapse foras turgeant, sat tutis characteribus a physconis vicinarum partium discerni queunt, quibus omnibus et illud accedit, quod saepe in intimis horum viscerum penetralibus lateat anguis.

§. 9. Attamen momentorum causalium severum scrutinium, morbi sedes, functio hepatis et lienis laesa, symptomatum essentialium pensatio cum abdominis exploratione prudenter instituta, medico versato diagnosin facilem reddent. Circa methodum abdomen in hoc morbo explorandi, liceat mihi propria Clariss. P. Frank adducere effata: »Vix nisi in situm, qui cuique visceri explorando conducat, aegros collocemus, »diagnosis sat firma obtinebitur. Qui in suspecti jecinoris, aut et lienis naturam inquisiturus est medicus: »ille non in dorsum semper procumbentem hominem, »sed alio longe in situ positum examinandum habebit. »Nunc scilicet conveniet, in pedes erectum et in sinistrum, aut cum lien examinandus fuerit, in dextrum »latus aegrum contrectare: quo nempe in situ, inferior

»istorum viscerum limbus a costis spuriiis magis libe-
 »ratur, et exploranti digito redditur vicinior; nunc in
 »genua cubitusve decumbere aegrum jubebimus: quo
 »fit, ut suo pondere jecur, sub hypochondrio dextro
 »nimis reconditum, aut splen ipsum, mesenterium,
 »pancreas infarcta, anteriora versus ferantur, laxatis-
 »que abdominis musculis, majorem inquiriturae manus
 »superficiem exponant; nunc, decumbente in dorsum
 »aegro, positus, inflexo genu, in talos pedibus, ven-
 »trisque prius relaxatis sic integumentis, manus medici
 »infra costas dextri aut sinistri hypochondrii spurias
 »ponitur, atque his ipsis ad anteriora vi quadam ele-
 »vatis, sepultum sub osseo hoc arcu hepar aut lien,
 »ad umbilici regionem prodire cogitur. Non repleto
 »prius a cibus vel a potu abdomine, sed homine jeju-
 »no, istius in viscera inquirendum; vel, si temporis id
 »sibi exigat penuria, intestinis prius contentis flatibus
 »atque saburris ope clysteris, ne, inflata nimis, defe-
 »ctus morbosque aliorum abscondant, deplenda sunt.
 »In genere vero, quae sub hypochondriis latent visce-
 »ra, ea, nonnisi sub majoris et protractae inspiratio-
 »nis tempore rectius tactu explorantur. Quod autem,
 »sub tali examine musculorum abdominalium aucta
 »sic tensio rectius examinari impediverit, id mox sub
 »expiratione longiori opus suscipere, ac singula tandem
 »inter se comparare juvabit. . Frequenter, quas decu-
 »bitus aegrorum supinus inquiri satis negaverit; eas
 »erecta corporis in pedes positio, varia inflexio, quod
 »suo pondere tunc viscera infarcta, nisi cum aliis, aut
 »cum ipso peritoneo jam arctius concreta, magis de-
 »scendant; vel praedilecto a loco urgeantur, et tra-
 »ctionis, tensionis majoris aegro sensum inducant, pa-
 »stefacit injurias. Nec minus corporis aegrorum ex uno
 »latere in alterum promptior conversio; si hoc sub mo-
 »tu, vel in hoc, vel in aliud, sibi quidquam aut delabi,

aut quasi suspensum haerere persentiant, certio-
rem ad diagnosin conferet — *Frank*.

D i v i s i o n e s.

§. 10. Emphraxis a medicis multiplici intuitu divi-
ditur, habito videlicet nunc vasorum infarctorum et ma-
teriae infarciensis, nunc originis, nunc naturae et gra-
dus, nunc durationis atque complicationis respectu.

§. 11. Ita ratione vasorum infarctorum et materiae
infarciensis: in *cruentam, lymphatico-serosam, bilio-
sam*; — ratione originis in *primariam et secunda-
riam*; in *idiopathicam, symptomaticam, sympathicam*;
ratione processus morborum in *activam, sthenicam, ca-
lidam, febrilem*; in *passivam, asthenicam, afebri-
lem*; in *spasmodicam*; — ratione indolis et gradus in
*simplicem, primi gradus, congestionem; obstructio-
nem, secundi gradus; indurationem, scirrhum, stea-
toma, calculos, hydatides, tertii gradus*; — ratione
decursus et durationis in *acutam et chronicam*; sim-
plicem, compositam et complicatam dispesci solet.

§. 12. Ex praegressis sponte elucet, nobis hic loci
de emphraxi hepatica et splenica substantiva, sive pri-
mario sive secundo exorta, simplici et chronica,
sermonem esse.

Differentiae ab analogis adfectibus.

§. 13. Inter conditiones pathologicas, quae cum
emphraxi *analogiam* fovent, spectant: 1. *Parectama*
s. *hyperepidosis* 2. *Scleroma*, induratio, Germ. Ver-
härtung.

§. 14. *Parectama* dicitur illud organicae reprodu-
ctionis quantitative incitatae vitium, quod volumen vi-
sceris cujusdam, una cum massa, morbose auctum re-

fert, quin tamen consistentia, partiumque similarium proportio alterata sit.

§. 15. *Scleroma* ab *emphraxi* cohaesione majore distinguitur, nullo prorsus voluminis aucti, vel imminuti respectu habito.

Decursus et Duratio.

§. 16. *Decursus* hujus morbi nullis prorsus legibus adstrictus est. Quandoque enim lentissime evolvi-
tur hoc malum, et diu clandestine irrepit, donec tandem summum adipiscatur gradum: alias rapidius decurrens, citius in *scleroma* transit. Subinde in eodem, quem adsequutum est, gradu, sine ullis mutationibus diu perseverat, praeprimis si congruum servatur regimen; vel denique ad seram usque senectam absque magnis gestatur incommodis.

A e t i o l o g i a.

Momenta pröegumena.

§. 17. Momentis disponentibus ipsa horum organorum structura, situs, nexus, potentia vitalis, et quibus funguntur, officia omnium primo adnumeranda veniunt. »Nullum viscus, ait *F. Hoffmannus*, in »universo corpore per copiosissima vasa sanguinem »aegrius transmittit, simulque ad dejectionem toni ac »roboris, et hinc oriundam humorum stagnationem »ac tumorum generationem, tam proclive est, quam »hepar.» Idem de liene: »Nullum viscus tam facile sanguine infarciri et repleri, ad ingentem saepe magnitudinis tumorem solet, ac lien . . . ad infarctum illum »multum facit, quod lien humanus valde tenuibus mem-

»branis cinctus sit, quae facile cedunt, sanguinisque »majorem adfluxum et subsistentiam invitant.«

§. 18. Huic in emphraxin dispositioni generali, specialis quoque ex aetate, sexu, temperamento, habitu corporis aliisque circumstantiis, cuilibet individuo propriis accedit.

§. 19. Magis huic morbo obnoxius est sexus virilis. Non ultima causa, cur rarius apud feminas occurrit, in menstruis, quibus a superfluo sanguine liberantur, quaerenda esse videtur: cum catameniis ex quocumque fonte fluere cessantibus, frequenter infarctibus mulcentur.

§. 20. Aetatem si respicias, viros et senes decrepitos hoc morbo praesertim vexari, invenies. Frequentius quoque in feminis, quae annos clymactericos emensae sunt, occurrit.

§. 21. Relate ad temperamentum, cholericus non minus quam phlegmaticus in hoc malum inclinant. Hanc vero proclivitatem habitus peculiaris, hypochondriacus quondam dictus, fovet, qui ex viscerum abdominalium evolutione inaequali, ex venae portarum capacitate justo magis adaucta, et ex singulari hepatis et lienis erethismo nascitur, quo fit, ut continuus turgor et orgasmus in hisce organis obtineat.

§. 22. Multum porro emphraxi diversa vivendi ratio favet. Tali modo, proh dolor! tot artium et literarum cultores vi muneris sui, huic malo succumbunt; aliis miseriae et duri labores, aliis vita otiosa et deses, aliis vita opipara et in omnes libidines effusa, lugubrem hanc praeparant sortem.

§. 23. Huc denique morbi diversi viscerum, in hypochondriis reconditorum, aut organorum his proxime adjacentium spectant, iisdem nisum in congestiones et stases imprimentes.

Causae excitantes.

§. 24. Plura momentorum disponentium ad altiore gradum evecta, aut individuum male dispositum offendentia, ipsum producunt infarctum. In genere, quidquid sive tonum viscerum hopochondriacorum dejicit et vasa relaxat, spasmum inducit aut phlogosim, atque vel congestiones humorum ad eadem sollicitat, vel motum per illa retardat, vel refluxum arcet, vel qualicumque demum ratione normale inter continentia et contenta aequilibrium perturbat et vigentem in iisdem processum vitalem alterat, — emphraxia generare valet.

§. 25. Inter praecipuas nunc potentias nocentes referri merentur: animi pathemata et graves mentis labores; prava vivendi ratio; aëris, domicilii, vestimentorum conditio vitata; varia opificia et artes diversae; multiplices denique morbi.

§. 26. *Animi pathemata excitantia et deprimentia*, ob peculiarem inter systema nervorum et vasorum, inter vitam psychicam et somaticam, inter operationes cerebri et systematis gastrici philadelphiam, consensu et antagonismo continuo sese manifestantem, humores ex aliis corporis partibus ad systema venae portarum urgendo, aut liberum eorum per hoc circuitum, aut refluxum inde arcendo, aequae ac apathia infarctus generare valent. Verum tamen libidinosi quoque, turpis masturbatorum cohors, hypochondriasin, melancholiam et tristem sibi cheu! pariunt talem dorsalem.

§. 27. Magni momenti sunt *graves mentis labores*, qui ut immortalis *Hartmannus* dicit, mortalem, ad summam sapientiam tendentem, ad imum saepe depriment. Nec mirum id videbitur illi, qui totam vitae potentiam in cerebrum converti, perpendit. Sic ait *Ticinus*: »Quantum mente et cerebro negotiosi sunt, »tantum corpore sunt otiosi.« Et *Ramazzeni*: »stu-

»diosi paulatim, inquit, saturnini et melancholici
»fiunt.«

§. 28. Errores porro *regiminis diaetetici et pravus vivendi mos* maxime emphraxi producendae favet. Quam male sibi igitur consulunt, qui nonnisi, ut edant, vivunt; qui ventrem modo Deum supremum agnoscunt et venerantur! — mandones ergo, bibones et heluones, quibus nil magis in deliciis, quam densis vini vaporibus, tenuem obfuscare spiritum. Illis enim ventriculi scirrhi et incrassationes, tumores glandularum, tubercula pulmonum, physconia et induratio hypochondriorum, ossificationes et concrementa calcarea, ni sub primo impetu acutis jugulentur morbis, nascuntur, cum totus vitae impetus in organis culminet abdominalibus. His accedit nutrimentum et potulentum qualitate peccans: victus caseosus, lacticinia, farinacea leguminosa, pingua, praedulcia, jurulenta, mustum atque etiam id vinum, cui nil adhuc aetatis accessit; adstringentium, cremati et cerevisiae non rite fermentatae abusus; aquae insalubres, palustres. Omnes haecce potentiae nocentes illud, de quo sermo est malum, eo certius producent, si necessarius simul negligitur corporis motus. *)

§. 29. Idem valet de *aëre vitiato, humido, frigido*, unde emphraxi in quibusdam regionibus endemica est v. c. in Hungaria, Insubria, Hollandia, Anglia.

§. 30. Nec vestimenta praetervidenda sunt, etenim caligae, cingula arctiora et thoracula, quibus coarctatus in medio truncus formicarum prae se fert habitum, hepatis et lieni non innocua sunt.

*) Quantum nutrimentum largum cum motus defectu influxum in augmentum hepatis exerat, anseres et capones in clathris saginati testantur, quibus arte vera inducitur physconia et polysarkia.

§. 31. Diversa perlustrans *opificia*, plura etiam invenies, quae infarctibus opitulentur, sic apud fabros lignarios, ferrarios, murarios, sculptores, sartores et sutores, textores et netrices, scribas et notarios saepius occurrit, nec literatis parcit viris.

§. 32. Ita e. g. *sartores*, gens delicatula, erethistica, temperamento et opere feminis vicinior, diu noctuque trunco incurvato immobiles rigentes, qua linum lanamque millenis vulneribus pertundunt acu, impedito libero sanguinis circuitu, infarctus, hypochondriasin sibi parant.

§. 33. His quoad situm proxime accedunt sutores, quibus solennis est hypochondriasis habitusque mysteriosus, atque singularis nisus, speculationibus philosophicis, religiosis, politicis — ultra crepidam — indulgendi.

§. 34. *Textores* labore suo utrique affines, post viscerum abdominalium labem idealia phthiseos specimina sistunt.

§. 35. Varii tandem *morbi* ad potentias nocentes, infarctui faventes, referendi sunt. Ita febres gastricae, exanthematicae, impetigines, inflammationes hepatis, aut viscerum huic et lieni vicinorum non bene resolutae, humorum retentiones, hujus morbi uberrimi fontes.

§. 36. Ast nihil tam cito hepar et lien infarcit, quam *febris intermittens*, unde infarctus ex hoc fonte progredientes *offae febriles* vocati sunt. Illud dictum esto praesertim de quartana, endemica imprimis, hungarica, italica etc. et de tertiana pertinaci, recidivante. Stadium frigoris plurimum huc facit nec non crisis, qua materia eliminanda ad hypochondria deponitur. Fertilis quoque infarctuum fons in therapia perversa latet, quo praecipue praematura febris intermittens cortice peruviano suppressio, spectat.

Nosogenia. Causa proxima.

§. 37. Genesin emphraxeos hepaticae et splenicæ in quantitativis potissimum solidorum ad fluida relationibus, et pendentibus inde viscerum illorum mutationibus radicari ex sequentibus clarius elucebit.

§. 38. Originem hujus morbi inquirentibus, omnium primo turbatum inter solida continentia et fluida contenta æquilibrium adcusandum erit. Hujus autem æquilibrii abnormis rationes vel in alterutrius, vel in utriusque simul factoris culpa latere, omnes autem vel diametrum vasorum angustando, vel massam, aut expansionem humorum augendo agere, atque id *vel aucta, vel imminuta, vel demum perversa virium vitalium in iisdem potentiae* præstare, offendimus. Ita vasa hepatis et lienis, nunc ex naturæ vitio, nunc ex morborum, quibus aut ipsa aut vicinæ adficiuntur partes, culpa, natisve inde potentiis dynamicis, materialibus, ex inflammatione, tunicarum, incrassatione, spasmo, compressione a tumore vicino, calculo, etc. in lumine suo ita coarctari possunt, ut consuetam etiam humorum quantitatem, absque violenta distentione, non capiant, captam aegre conducant, inæqualiter distribuant, retineant, incarcerationent. Alias capacitas vasorum perfecte normalis et sufficiens, quid, quod major plane normali esse potest: verum ob sensibilitatis ac irritabilitatis eorum potentiam altiorem, aut etiam ob imminutam reagendi virtutem, atoniam, torporem, nunc distributi et circulantæ aequabiliter per universum vasorum systema humores, e remotis alliciuntur regionibus, et avidè arrepti vi retinentur, nunc vero plethora in toto vigente corpore, aut impetu humorum, ob urgentes a tergo potentias, ad hæcce organa, minus resistentia, di-

recto, aut denique nisu eorum in expansionem et volumine aucto, tanta ad hepar lienque nascitur congestio, tantus orgasmus, ut inde vasa illorum ad majorem diametrum recedere, parietes relaxari, poros hiare, contentum fluidum in loca aliena aberrare, in textum cellulosum extravasari, et ob infractam omnium solidorum vim contractilem resorptionem et refluxum illius tardari, aut penitus intercipi, humoremque stagnare, densari, coagulari, partiumque similium proportionem cum consistentia simul alterari necesse sit.

§. 39. *Causa proxima* in hepatis et lienis evolutione perfectiori, in coagulo humorum, nunc in vasis capillaribus stagnantium, nunc in telam cellulosa effusorum, atque in levi compagis et structurae alteratione consistit.

Terminationes.

In sanitatem.

§. 40. *Transitus in sanitatem locum* habet, si morbus est simplex, recens, ex causis notis et amovendis oriundus, faventibus simul reliquis circumstantiis, vitae genere, climate, atque therapia simul rationali in auxilium vocata. Febrim accedentem emphrasin subinde solvere jam *Hippocrates* monet: »Quibus ad hypochondrium dolor est sine febre, iis eadem superveniens dolorem sedat.« — Praecipue febris intermittens, vernalis, moderata, quos generat saepe etiam tollit infarctus, »Tertiana in medicinam quoque cedit, si impurum corpus, succis repletum ac chronicis passionibus afflictumprehendit, nempe obstruc-

»tionibus, infarctibus.« (Stahl). Verum etiam febres continuæ acutæ benignas quandoque in resolvendas obstructions exerunt vires. Id valet de typho contagioso, id quoque de levi hepatitide et enteritide.

§. 41. Praecipua phaenomena, quae reditum in salutem comitari solent, sunt: imminuuntur paulatim symptomata topica, dolores aliaque molestiae, tumores mollescunt, collabuntur, hypochondria exaequantur et omnem corporis situm admittunt; redit appetitus, digestio facilis fit et expedita; excretiones ad normam revertuntur; emendatur nutritio; physiognomia ad naturalem propius accedit; fugiunt odiosa hypochondriaseos spectra, et, quibus se ipsam phantasia industriose intricavit, rumpuntur vincula; redeunt vires, somnus tranquillus reficit, vigiliae non fatigant; conscius sibi harmoniae functionum animus, anxium sinit timorem, vitam optat et amat ejusque oblectatur deliciis. Dynamicis hisce mutationibus junguntur materiales, quae ut plurimum in largis consistunt evacuationibus, per diversa naturalia vel et insolita plane colatoria contingentibus. Ultimo respectu haud raro varia profluvia cruenta, epistaxis, haemorrhoidum fluxus: vomitus cruentus observatus est; alias per catamenia redeuntia, largiora, eruptiones cutaneas pristina recuperatur salus.

In alios morbos.

§. 42. Sub circumstantiis adversis ingens morborum cohors miserias aegri et vitae discrimina multiplicat. Altius enim e vecto malo, ex infarctu fit scleroma, quod lugubre morborum succedentium inchoat agmen. Sequuntur inflammationes occultae, suppurationes malignae, febris lenta, phthisis, febris intermit-

tens quartana vel tertiana, scirrhus, tabes sicca, scorbutus, hydrops, icterus, impetigines: herpes, psora, chloasmata; exanthemata; miliaria; urticaria, tormentis plena arthritis, hypochondriasis, melancholia, paraphrenitis, asthma, dyspnoea, tympanites, haemorrhoides, melæna, dolores, multique alii universales et topici morbi.

In mortem.

§. 43. Triplici modo emphraxis hepatica et splenica in mortem terminari potest, et quidem 1. *ex debilitate vitali*, viribus atrophia, humorum nobilium jactura, continuis cruciatibus, pervigiliis, mentis animique languore exhaustis; 2. *ex virium suppressione*, dum congesti ad diversa organa humores cruenti, serosi, biliosi eadem obruunt, eorum functiones sufflamant, pulmones praefocant; 3. *ex colliqutione materiae*, cum solida et fluida in miscela sua organica plenarie pessumdata, processui vitali sustinendo imparia fiant. Communiter tamen mors mixta est. Animi praesentia perfectissima ad januam usque orci aegris adesse solet. Anxietas et inquietudo aegris ipsis et adstantibus imminentem annuntiant mortem, quae tandem praegressis convulsionibus, singultu, aut oscitatione repetita, aut tenui suspirio, animam subripit.

Sectiones cadaverum.

§. 44. Omnia, quae ex cadaverum, emphraxi defunctorum, innotuerunt phaenomena, ad voluminis et massae augmentum ob solidorum, praecipue vasorum dilatationem, hinc inde varices et diverticula, humorum, praesertim cruoris, spissioris ut plurimum et

atri fere, alias tenuis et resoluti in iisdem stagnantium molem, qua totidem praegressae congestionis, sive activae sive passivae, et turbati aequilibrii signa reducuntur.

§. 45. Tali modo hepar, quod in statu normali circiter 4 — 5 libr. aequat, septies majus testibus Meckelio, Egerdo et Goochio inventum est. Alii hepar in massam 12 imo 14 libras pendentem degeneratum referunt.

§. 46. Majori adhuc in voluminis augmentum nisu distinguitur lien. Sic Morgagnius in femina 28 annorum lienem post diuturnam febrem intermittentem pondus $8\frac{1}{2}$ libr., adeoque 16 vicibus fere majus, ac in statu normali esse solet, et tantam amplitudinem adsequutam fuisse vidit, ut totum latus sinistrum cavi abdominalis expleverit; cujus tamen textura normalis et vasa lymphatica et sanguinea non modo non arctata et infarcta, sed potius ampliora et magis pervia reperia sunt. Exempla lienis ad 15, 23, 33 libr. aucti collegerunt Morgagnius et Sauvagesius in classicis suis operibus. Ruischius lienem naturali octuplo majorem, 3 libr. pendentem in pelvim descendisse, et in ejus loco corpus analogum, colore et substantia lienem exacte referens, castaneae majoris magnitudine, reperit.

§. 47. Plurimas praeterea circa hanc rem observationes Vettero, Vieussenio, Bonneto, Sandifortio, Conradio, Ellioto, Frankio aliisque debemus.

§. 48. Quamdiu auctum volumine hepar texturam normalem retinet, Physconiam, Hetrunkum proprio sensu seu hypertrophiam sistit, quod, qui illud gerunt homines, ventricosi evadunt, quos Graeci $\phi\upsilon\tau\kappa\omicron\nu\epsilon\varsigma$ appellant. Talem fuisse Ptolemaeum apud Aegyptios vocatum, ex Tito Livio tenemus. Attamen in hepate illud rarissime obtinet, quod cum magnitudinis vitiis et structuram alienam a normali habere solet.

§. 49. Crescit enim compagis soliditas et texturae alteratio, quo magis vera evolvitur emphraxis, scleroma, scirrhus. Diversa sub hoc respectu cohaesionis vitia, texturae et structurae metamorphoses inveniuntur. Huc nodi hepatis (Leberfnoten), quos Baillieus scirrhum hepatis nominandum censet, tubercula hepatis, magnitudine, colore et substantia multum variantia, hydatides, abscessus et ulcera, calculi et s. p. referri merentur.

§. 50. Quod organa cum his visceribus proximo nexa, illisque contigua spectata, intelligitur, haec sub statu illorum adeo abnormi nequaquam immunia persistere posse, quorum tamen mutationes et metamorphoses diversas silentio praetereundas censeo.

Prognosis.

§. 51. Praeter momenta, quae rationalem dirigunt prognosin atque e conditionibus infarctuum, exitus dirigentibus, uti sunt causae occasionales, symptomata, morbi gradus, decursus, complicationes, empiricis saepe saepius uti oportet signis ad futurum eventum praedicendum, quem sub concursu quorundam phaenomenorum, multiplici experientia confirmatorum, cum quadam probabilitate ominari licet.

§. 52. Si simplex est emphraxis, recens, juvenibus superveniens morbis praegressis non tentatis, vegetis, ex causa cognita et amovenda oriunda, faventibus circumstantiis externis, sub congruo regimine, adveniente insuper anni tempore et climatis constitutione, per apta remedia sanatur. Neque tamen desunt exempla, quibus constat, superveniente quandoque febricula salutari, infarctus pertinaces resolvi.

§. 53. Tristem nonnisi prognosim individua ad-

mittunt, diathesi quadam morbosa adfecta, aut quibus ex opificio, cui insudant, nascitur infarctus; nec quibus ex nutrimentorum et potulentorum aërisque prava conditione oritur, laetum conceditur praesagium.

§. 54. Emphraxis hepatica et splenica pejor, quam alia, hepatica pejor quam splenica, praesente simul complicatione pessima. »Lienis tumor longior ast securior est illo hepatis, per intervalla quandoque »magnitudine variat, quod securius, quam si adsidue »magnus manet« Holler. »Succedunt spleni magno vel »sanguinis vomitus, vel scorbutus, vel askites.« Dodon. »Pueri ac juvenes facile hanc calamitatem patiuntur, »facileque inde liberantur: senes vero adfecti evadere »interitum nequeunt, nam et pusillus tumor ipsis causa »interitus fuit.« Idem.

T h e r a p i a.

§. 55. Quatenus emphraxis hepaticae et splenicæ essentia in reproductionis organicae quantitative incitatae vitio consistit, quod utriusque organi volumen, una cum massa, morbose auctum refert, consistentia simul adaucta partiumque similarium proportione alterata; eatenus quoque *indicationis curativæ* alius non erit scopus, quam ut reproductionis processus infringatur, stases reserentur, coagula solvantur, et solutorum reductio expediatur; quod nunc directe nunc indirecte effici poterit.

§. 56. *Methodus directa* in causarum amotione consistit, adeoque exactissimum momentorum causalium scrutinium supponit.

§. 57. *Methodus medendi indirecta* morbum ipsum, cum omnibus suis symptomatibus concernit, et tota in adimplenda *triplici indicatione* occupata est: quarum *prima* stagnantium et coagulatorum aut condensatorum,

in vasis et textu celluloso, humorum, *resolutionem*, liquefactionem; *secunda* solutorum resorptionem et ex corpore eliminationem; *tertia* denique id exposcit, ut inducta tum per ipsum infarctum, tum per remedia solventia et evacuantia, solidorum *laxitas et debilitas*, *fluidorum tenuitas* et in resolutionem nisus per congrua remedia exci'antia, *tonica emendetur*, his debitus consistentiae gradus, illis justa reagendi facultas restituatur.

§. 58. *Primae indicationi* satisfit per *methodum et remedia*, quae stricto sensu *Solventia* dicuntur, nunc *antiphlogistica*, si manifestum simul oblineat incitationis vitalis augmentum, nunc magis *tonica et acria*, si torpor et *laxitas* praedominetur. Haec enim in statu verae emphraxis non modo principem apparatus therapeutici constituunt partem, verum etiam omnis infarctuum cura ab illorum usu inchoari, et modo, quae indirecte solvunt, simul cum directe solventibus combinari, modo vero haec sola illis praemitti debent. Horum porro selectus non tantum gradui morbi, verum etiam praevalenti characteri dinamico adaptandus est, quamvis verus infarctus, nisi huic recens accedat phlogosis, semper morbum characteris adynamici exhibeat. Hujus farinae sunt: fructus horaei; radices dulces; plantae materia amara solvente et salibus instructae: Taraxacum, Cichoreum, Saponaria; acida plantarum mitiora; alkalia fixa refracta dosi adhibita; sulfur et sulfureta; sales medii et compositi ref. dos. in auxilium vocati, terra foliata tartari, cujus virtutem expertum se esse testatur *Huxham*; aqua simplex, aquae soleriae salinae, alkalinae, Aqua Selterana, Acidula Pyrmon-tana salina etc.; ptisannae ex avena, hordeo; praeparata stibii mitiora, maxime Sulfur auratum et Kermes, pulveres Plumeri; praeparata Hydrargyri mitissima, extr. Chelidonii, Lactuca virosa, stipites Dulcamarae, omnia denique emetica dosi refracta.

§. 59. Cum *finis* secundae indicationis sit *solutorum in circulum reductio et ex corpore eliminatio*: praeter remedia Solventia, oxygenio scatentia, *Purgantia* quoque praecipuam sibi curae emphraxeos vindicant partem. Huc spectant: Eccoprotica, fructus Tamarindorum, Manna, tartrates; sulfates; Rheum, folia Sennae, Aloë gummi-ferulaceis nupta etc. Notandum tamen, quod Diaponica etiam ac Diuretica mitiora simul in auxilium sint vocanda.

§. 60. Relictae demum solidorum laxitati et debilitati, fluidorum tenuitati et in resolutionem nisui, optimam medelam ferent *Roborantia*. Hoc efficiunt remedia amara, Gentiana, Quassia, Trifol. fibrinum, Taraxacum, Cichoreum, fel tauri inspissatum, amaro-aromatica, Absynthium, Marrubium album, millefolium etc. Ita Celsus: »Hoc vitium, inquit, quies »auget, itaque exercitatione et labore opus est, unctio- »nes frictionesque et sudores necessarii sunt. Dulcia »omnia inimica sunt: item lac et caseus, acida autem »maxime conveniunt. Ergo acetum acre per se sorbere »et magis etiam, quod scilla conditum est, expedit. »Edenda sunt salsamenta, vel oleae ex muria durae et »sinapi, armoraciae. Potui vero jejuno dari debet »absynthium aquae incoctum; et post cibum aqua a fer- »rario fabro, in qua candens ferrum subinde extinctum »est: haec enim vel praecipue lienem coërcet, quod »animadversum est in iis animalibus, quae apud hos fabros »educata exiguos lienes habent. Potest etiam dari vi- »num tenue, omniaque in cibis et potionibus, quae »urinae movendae sunt . . trifolii semen, apium, sa- »tureja etc. praecipueque eruca et nasturtium lienem »extenuant. Imponenda quoque extrinsecus sunt quae »levant. . . .«

§. 61. *Remedia externa*. Eximiam quoque virtutem remedia externa praestant. His adnumerantur: fri-

ctiones ad cutem, locis adfectis proximam, tum sicca manu, tum ope panni lanei tepefacti, aut fumo quodam aromatico imbuti instituendae; lotiones et inunctiones, emollientes, sopientes, oleosae, nunc excitantes potius, aromaticae, nunc demum irritantes; cataplasmata, fomenta, emplastra ejusdem indolis; balnea tepida, aut integra, aut semicupia, nunc simplicia, nunc saponata aliisque substantiis congruis impraegnata, thermae Carolinae. Sed nil, »ad mentem Burseri praestantius est embroche, ex lacte primum, aut decocto »emollienti, dein ex aqua thermali, aut ferrata aut »brorum.« Administratur autem stillatim ex alto in partem affectam. Cavendum tamen a nimio impetu, qui dolorem aut inferre aut intendere, si jam adsit, in aegri damnum possit. *Portalius* tumoribus mollibus e pondere molestis, fascias abdomini circumdatas, quarum ope sublevantur, levamini esse dicit. *Gorterus* animalia viventia, aut earum viscera tepentia, infarctis jugiter adplicata, magnopere laudat. — Clysteres etiam ex aptis remediis parati, egregie reliqua medicamenta, ori commissa in cura radicali adjuvant.

§. 62. *Cura symptomata.* Symptomata urgentiora, acidum primarum, viarum, pyrosis, vomitus, diarrhoea, stypsis, erethismus, flatulentia, congestiones sanguinis ad diversas partes et natae inde haemorrhagiae, denique spasmi varii generis peculiarem sibi exposcunt respectum.

§. 63. *Emphraxis hepatica et lienalis,* tum ob congestiones et stases diuturnas in his visceribus ob interruptam vel alienatam eorum functionem; tum ob languorem organis digestionis communicatum, ob pravum inde chymum, chylum, et, qui ex hoc generetur, sanguinem, ob labefactatum totius assimilationis et nutritionis negotium; tum ob diversa profluvia, cruenta, serosa; tum denique ob protractum medica-

minum solventium, evacuantium usum, semper tandem debilitatem topicam et universalem, solidorum laxitatem et atoniam, fluidorum tenuitatem et dyscrasiam, materiae organicae penuriam pedissequam habet. Huic *in cura Reconvalescentiae* per methodum excitantem, roborantem et nutrientem satisfacere adnitimur.

§. 64. *Regimen dieteticum* sequentibus accommodetur regulis: 1. Conducit *motus creber in aëre libero*, sicco, puro, — tum activus, tum passivus, equitatione in rheda, exercitia gymnastica, labores, quidam mechanici, hortulani, tornatio, dolatio etc., vita sedentaria contra, aër impurus, cubilaris, somnus protractus, cane et angue pejus fugienda; 2. *Congruus fiat ciborum et potulentorum selectus*: fructus horaei, olera, radices dulces, serum lactis, cerevisiae tenues bene fermentatae, vina, aquae minerales acidulae, bonam exerunt virtutem; — nocent autem omnes potus tepidi, fatui, relaxantes, peculiari ratione ad vasa portarum agentes, sanguinem illuc urgentes, Coffea, Thea, alcoholica etc. item omnis victus crudus et *nimis larga nutritio*. 3. *Mentis et animi* aptum requiritur moderamen, occupatione viribus adaptata recreatione atque conversatione procurandum; 4. denique excretionum omnium libertas concilianda est.

L i t t e r a t u r a .

- Hippocratis* Opera. Edit. Foesii Genev. 1650. —
Ed. Van der Linden. Lugd. Batav. II. Vol. — Ed.
Kühn III. Vol. Lipsiae 1825.
- C. Celsus*, de Medicina. Libr. octo. Ed. Almcloveen.
Lugd. Batav. 1750. — Ed. Knaus Lips. 1766. —
Ed. Kühn. 1828.
- Galenii* Opera. Ed. Renat. Charterii c. Hippocr.
oper. Vol. XIV. Parisiis 1639.
- Artaeus* de causis et signis morborum acutorum et
diuturnorum libr. IV. Ed. Herm. Boerhaave. Lugd.
Batav. 1731.
- N. Tulpius* obs. medic. libr. Amst. 1672.
- Helmontii*, Opera. Francof. 1682. — Sylvii op.
Amstel. 1695.
- Baglivii*, opera. Lugd. 1704.
- I. P. Bianchi*, Historia hepatica. Taur. 1710. 4.
- H. Boerhaave*, Aphorismi de cognoscendis et cu-
randis morbis. Lugd. Bat. 1709. — Ed. quint. 1737.
- F. Hoffmanni*, medicina rationalis. Vol., III. et
Suppl. Halae 1729 — 1759.
- Ernest. Stahl*, Theoria medica vera. Halae 1708.
- Lieutaud*, Precis de la médecine pratique. Paris
1759 — 1777.
- Burserius a Kanilfeld*, Institut. med. pract. Vol.
IV. Lipsiae 1787. — Berolin. c. Wecker 1826.
- I. Petr. Frank*, Epitome de curandis hominum
morbis. Vol. IX. Manhem. 1794 — 1810.

Werlhofii, Observationes de febr. interm. Hannov.
1745.

Fr. Schraud, de febr. periodum habentibus. Vienn.
1797.

F. I. C. Sebastian, über die Sumpfwexchselfieber
im allgemeinen und vorzüglich jene, welche in
Holland epidemisch herrsch. Karlsruhe 1818.

I. Valent, nob. ab *Hildenbrand*. Institutiones
pract. medicae continuat. a Filio Francisco. Vol.
IV. Vindob. 1816 — 1825.

I. Kämpf, enchiridium medicum. Fr. 1778.



Theses defendendae.

I.

Vita opipara fertilis infarctuum mater.

II.

Quae emphraxin generat, non raro etiam tollit febris intermittens.

III.

Dantur crises dynamicae absque conspicuis subsequis materialibus.

IV.

Vita omnis naturae systematis basis.

V.

Perperam agit, qui nimis de salute sua sollicitus anxie omnes influxus externos fugit.

VI.

Medicus cunctando saepe sanat.

VII.

Absque psychologia non es medicus.

VIII.

Quo quis remediis ditior est morbus, eo rarius plerumque sanatur.

IX.

Aër vitae aequè ac mortis pabulum dici meretur.

X.

Foetus in utero materno reclusus a morbis non liber.

XI.

In operationibus chirurgicis gravioribus prognosis
cauta sit oportet.



